

Heinrich Schuckmann

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Schuckman I.D & Codicis Professor, Ad Exequias quas Viro ... Georgio Gaulen/ Civi huius urbis primario, Vidua moestissima hodierna prima paratas cupit, Omnes Academicam iurisdictionem ... invitat

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777448165>

Druck Freier  Zugang





Schvckman, H. ,

in G. Gaul.

R. 1640.

56.







Audabilis ritus est circa funera receptus, quod Denatorum exuvia, imprimis illorum, quibus Vita bene acta beatè excessit, non clanculum efferri, sed stipatæ publico honestorum comitatu eò deduci solent, quò deducendas Natura destinavit. Hanc consuetudinem, cum esset sibi ab immemorabili temporum decursu veluti per manus tradita, linquere orbis Christianus ad hunc usq; diem noluit. Rationes, quæ facere eam unicuiq; probatam queunt, duæ potissimum inveniuntur; quarum *una* eorum gratiâ est, qui comitantur exequias; *Alterâ* ad propinquos se exporrigit, quos Fati jura vel in Viduitatis statum, vel orbitatis, vel aliâs in lucrum quendam intensiorem conjecerunt. Superioris generis iste est usus, quem commodè percipiunt, quicumq; exequialibus justis se comites adjunxerint, quod mortalitatis memoriam, summoperè necessariam, quæ apud plurimos oblivione sopita intercidit, sibi renovari, & quasi

quasi ob oculos statui sentiant: Etsi enim
mortalium quilibet, quamdiu corporeis vin-
culis continetur, signa quamplurima circum-
ferat, in semetipso expressa, quibus certior
fieri de vitæ fugacitate multoperè possit, præ-
sertim quum adverterit, quantis morbis, qui-
bus difficultatibus, quotq; vehementiorum,
affectuum procellis fragile corpus expositum
subsit; Spectatur tamen multorum animus
tanto sæpè somno oppressus, ut, nisi publicis
funerum spectaculis subindè exuscitetur, ra-
rò pertingat ad mortalitatis contemplatio-
nem: Siquidem, quæ ità comparata sunt, ut
exteriùs incurrant in solennem conspectum,
vim movendi exquisitiorem sortiuntur præ
illis, quæ, quod in sinu quasi resideant, admodù
domestica & nimis familiaria putantur. Quic-
quid ergo alij à priscis indè seculis ad animù
sibi revocasse leguntur ex quotidianâ Præco-
nis voce, quâ mortales se proclamari volue-
runt; idem illud singulis & universis ab oculo-
rù testimonio cogitandù sistitur, quando cunq;
vivi celebraverint demortuorù exequias, quos
insequi suo tempore eodem jure tenentur.
Ad propinquorum causam quod attinet, eo
moerore percelluntur mortalium pectora, ubi

se orbatos deprehenderint, siue Coniuge, siue
parentibus, siue consanguineis, siue alijs, cum
quibus arctiori necessitudine usi fuerunt, ut
illis morte extinctis, perijsse sibi credant
omne humanum subsidium: Quod si autem
cum ultimum humanitatis officium suis præ-
stant, non omninò se desertos ab hominum
confortio, sed alios etiam eadem viâ secum
incedere intellexerint; istud sanè levaminis
concupiunt naturali quodam impulsu, quo
erigere prostratam mentem quodammodo
possint. Ultrumq; Cives Academici, in
hodierno funere nobis Spectandum exhibe-
tur. Diem enim obiit Vir humanissimus, in
virili ac vegetâ ætate constitutus GEORGI-
US GAUL, Civis hujus Urbis primarius,
Cujus exanime corpus quod hodiè efferetur,
memorem esse terrenæ sortis quemlibet jubet.
Vidua ipse moestissimam reliquit, quæ æ-
rumnosum sequioris fortunæ jugum aggressa,
mortis acrimoniam acerbè luget. Ejus do-
lori nonnihil leniminis afferetis, si Marito de-
sideratissimo, ultimum charitatis affectum,
frequentiori præsentia testatum feceritis.
Nostrum est hoc loco, vitalem cursum &
quæcunq; cum absolvunt, paucis exponere.
Exor.

Exordium vitæ ingressus in hac civitate Anno
1597, die 9. Aprilis, Patre natus est, CASPARO
GAULEN, Cive optimo, qui fatorum serie
expletâ, mundanæ lucis usuram Anno 1623.
piè deseruit; Matre verò virtutibus fœmi-
neum sexum decorantibus addictâ Matronâ,
ANNA *Kyten*. Avum paternum habuit
GEORGIUM GAULEN, Consulem,
Reipublicæ Wittstochiensis in Marchiâ pru-
dentissimum; Cui germanæ fraternitatis vin-
culum intercessit cum laudatissimo Viro Dn.
BALTHASARE GAULEN, primum
Senatoriâ, postmodum Consulari dignitate
eminentissimo, cujus ea extant in hanc Rem-
publicam merita, quorum oblivisci seram po-
steritatem gratitudo prohibet; Aviam mater-
nam *Falken Langen*/quæ patrem suspexit ho-
nestam hujus urbis Civem ANDREAM
Langen. Istis prognatum majoribus, & Eccle-
siæ Christi, prævio Baptismatis Sacramento
initiatum, cum adultiorem ætatem agere
Margarithis noster cœpisset, Scholæ patriæ com-
miserunt Parentes; in quâ prima pietatis
morumq; fundamenta sibi comparavit; Cre-
scentibus annis ad Scholam Berlinensem able-
gatus, aliquandiu ibidem studijs operam de-
dit,


dit. Domum verò à patre revocatus, cum is
perspectum habuisset, filij sui ingenium ad
negotiationem potiùs quam literarum exer-
citia propendere, ex paterno ipsius suafu ac
arbitrio in Daniam concessit, ubi ad familiam
receptus Dn. Pauli **Sechtern** / Consulis Nelba-
genensis, per quinq; vel sex annosejusdem fi-
deli ministerio vacavit; Quibus feliciter ex-
actis, quod redditum Pater urgeret, mandanti
morigeris, recepit se ad lares patrios, cumq;
polliceri juvenilis ardor majora videretur,
missus est in Belgium, eo quidem fine, ut &
negotjandi artem penitus addisceret, & quæ
essent aliàs observatu digniora, sedulò perve-
stigaret; Quo instituto istos progressus fecit,
ut succedenti tempore, partim suo partim
parentis nomine mercaturam exercere, quæ
Gedani vigeat, per aliquot annos meruerit.
Anno ætatis 22, partæ salutis 1618. ad Conju-
gium accessurus, cum parentum consensu
Sponsam elegit, Virginem lectissimam & vir-
tutum decore conspicuam **MARGARE-
TAM**, Viri docti ac integerrimi **JOHAN-
NIS Brummen** / Civis & Cerevisiarj apud nos
industrij dilectam filiam, quam solenni ritu
sibi junctam, die 18, mensis Augusti, in torum
dedu-

deduxit. Ex pacato hoc tranquilloq; matrimonio duos suscepit liberos, filiam unam, MARGARETAM, filium alterum CASPARUM; quorum uterq;, ad nutum supremi Numinis Anno 1626. in vivis esse desit. Curriculum vitæ ita absolvit Defunctus noster, ut Laudem pietatis, quâ cultum divinum; candoris, pacis & modestiæ, quâ civilem conversationem; curæ verò ac diligentiae, quantum per infirmitatem licuit, in re familiari administrandâ amplificandâq; multorum calculo, sibi referret. Valetudine cum nō adeò firmâ ac integrâ esset, factum est, quod subiacere varijs morborum discriminibus, sicuti per universum Conjugij spacium, ita in primis ab integro quinquennio cogeretur. Undè postmodum ingravescens ægritudo eas paulatim vires acquisivit, quibus oppugnatum Defuncti corpus, antè 5. septimanas in lectum detruderet. Ab illo tempore nihil impensius in votis habuit, nisi ut in gratiam, quâ cecidisse se per peccata dolebat, redire cum Deo Salvatore liceret. Salutari igitur Absolutione ad editam confessionem reportatâ, immensum illud salutis pignus, corpus & sanguinem Christi, ministerio Reverendi
Super-

Superintendentis Dn. Constantini Fidleri, cum
symbolis exhibitum, debitâ reverentiâ sum-
sit; Quo accepto, cum augeri imbecillita-
tem magis magisq; sentiret, ad pias preces se
composuit; Inter quas animam caelesti verbo
refocillatam, ubi annos 43. & unum atq; alte-
rum mensem vixisset, die 12. præsentis Junij
circâ 11. meridianam piè placidèq; emisit.
Habetis iterum, Cives Academici, mortalita-
tis exemplar, cujus intuitu vestram omnium
sortem ad animum revocabitis, si id, quod
estis initio moniti, hodiè horâ primâ pome-
ridianâ in templo Mariano ad funeris pro-
cessum congressuri, sedulo exequemini.

P. P. Rostochij sub sigillo Recto-
ratus d. 16. Junij Anno
1640.







deduxit. Ex pacato hoc tranquillo
trimonio duos suscepit liberos,
MARGARETAM, filium autem
PARUM; quorum uterq; ad
mi Numinis Anno 1626. in vi
Curriculum vitæ ita absolvit
ster, ut Laudem pietatis, quâ cult
candoris, pacis & modestiæ, quâ
versationem; curæ verò ac dilig
tum per infirmitatem licuit, in
administrandâ amplificandâq;
calculo, sibi referret, Valetudine
firmâ ac integrâ esset, factum e
jacere varijs morborum discrim
per universum Conjugij spaci
mis ab integro quinquennio ce
dè postmodum ingravescens
paulatim vires acquisivit, quâ
tum Defuncti corpus, antè 5.
lectum detruderet. Ab illo t
impensus in votis habuit, nisi u
quâ cecidisse se per peccata dol
cum Deo Salvatore liceret.
tur Absolutione ad editam con
portatâ, immensum illud saluti
pus & sanguinem Christi, ministe

